

1747

CODICES

1748

XVII. fol. 286. p. 2. *Epistola Origenis de excusando se quod non dixerit dyabolum esse saluandum.* Initium: *Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos suos attribuunt nobis et doctrine nostre &c.* Versio est *Rufini Aquilej.* de qua is in *Libello de Adulteratione Libror. Origenis,* et *Hieronymus Apolog. contra Rufinum L. 2.* et *Pet. Dan. Huetius Origenianor. L. III. C. 3. Sect. 2.* Ultima sunt: *falsum testimonium vel dicens vel dicentibus accedens.*

CCCCXLIII.

940 Codex chartaceus lat. Sec.
941 cum XVI. tum XV. Folior. 141.
8. non una manu conscriptus exhibet, quae sequuntur: I. *Epistolam hujus initii: Wenceslaus Boemus Magistro Michaeli suo S. P. D. Nimis tu profecto, nimis et amore falleris, et iudicio, qui ea mihi tribuis, quae ego nec modo agnosco, nec unquam forsitan praestare potero, leveque aestimas, si quid in latinis literis me olfacere putes, nisi et Atticam Minervam jam mihi arridere ut libenter, ita et facile credas. Non il lubenter et ego haec transcribo, cum hominem prodant haud peregrinum in Latio, quales in stadio, quod decurro, raro admodum obvios habeo. Est vero is, ut conjicio, Wenceslaus a patria Bohemiae civitate dictus *Pisecky* sive *Pifecenus*, quem prior Bohemiae doctae Balbinianae Editor etiam *Medek* seu *Mellitum**

quidem adpellatum vult, sed cum *Wenceslao Melissaeo* patria *Krteno* confundere videtur, de quo *Lupacius* ad diem 26. *Octobr.* Vide *Cl. Ungari* edit. *Balbini* P. H. p. 190. Nostrium porro idem *Lupacius* in *Coron.* p. 9. *Sigism. Gelenii* domi et in *Italia Praeceptorem*, virumque in latinis, graecisque literis, id, quod et praesens docet *Epistola*, bene eruditum vocat, et extare ab ipso pure et eleganter scriptas, sed nondum in lucem emissas *Epistolas*, tum et quaedam ex *Luciano* in latinum conversa testatur. Addam ego, fuisse etiam versatum in Theologicis; ait enim prior *Balbini* Editor, in *Pragensi* Ordinis sui *Eremitarum S. Aug. Discalc.* Bibliotheca extitisse *Disputationem* ejus inter *Magistrum et doctum Theologum Monachum de Communionem utriusque Speciei*, quam ego eandem cum *Epistola* nostra habeo. Nam perfunctus in ea *Wenceslaus* officiosis amicitiae formulis, commendatisque *Michaeli* suo, qui fortasse fuit *Michael de Strazie* Academiae *Prag.* Professor publ. et *Karolinae* Domus incola, teste *Lupacio*, 1512. 22. *Jan.* defunctus, graecis suis ad *Mathiam Chorambum* itidem Professore *Prag.* de quo *Lupacius* ad diem 2. *Jul.* literis narrationem ingreditur: *Vincentium Beroaldum* (erat is unicus superstes Patri *Philippo* sen. *Beroaldo* noto *Bannoniensium* Professori, omniumque Septentrionalium, et vel maxime *Juventutis Bohemicae* amico filius)

1749

P O L E M I C I.

1750

filius) mercium caussa *Praga Bononiam* redeuntem rogatum fuisse a *Sixto* quodam *Picardita*, ut *Apologiam Fratrum* secum auferret iudicioque docti cujusdam Theologi *Bononiae* substerneret. Re praestita *Apologiam* illam communicatam fuisse a *Vincentio* Canonico cuidam *Olomucensi Bernardo*, qui malam *Fratrum* illorum fidem suspectans, inito cum *Wenceslao* consilio, *Apologiam* illam ad doctum quendam D. *Dominici* Sodalem sententiam ejus exquisiturus comite *Wenceslao* detulisset. Ibi cum inter alia in Communionem sub utraque specie a *Fratribus* adfertam incidere, dimissa *Apologia*, rogatum a *Bernardo* Dominicanum illum, quid his, quos alii *Huffitas*, nonnulli vero *Calixtas*, pars *Boemos* appellant, respondendum foret idem docentibus. Atque hic oritur Disceptatio, *Bernardo* simulate, ut quidem scribit *Nofter*, partes *Calixtinorum* acriter tuente, Theologo vero illo *Rom.* Ecclesiae usum defendente. Quae disceptatio quo tandem evadat, dicere nequeo, cum Exemplum nostrum in his verbis: *nec alia magis sub conditione mihi persuadetur ecclesiam catholicam* — — abrumptur. Est illud glossis cum bohemicis, tum latinis inter lineas passim conspersum. Epistolam ipsam non ante annum 1504. *Bononia* missam docet mentio *Apologiae Fratrum*, cujus prima Editio ad *Wladislaum* Regem hoc anno lucem vidit, *Apologia* altera anno 1507. succedente.

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

Utraque *char. goth.* 8. mihi objacet.

II. fol. 14. succedit Index alphabeticus in *Decretum Gratiani* finitus, ut habes in calce, Anno 1469. feria 2. in die augustini.

III. fol. 50. Epistola polemica, quae hanc inscriptionem praefert: *Johannes de Rokyczana Francisco de Toletio salutem.* At vero alia manu supra notatum: *Martinus senior in zacz*, et ad calcem: *Hec Martinus senior misit Magistro Rokiczane ex zacz ad vota, quia sibi miserat tractatum sepe nominati francisci in zacz ut eum conspiciendo aliqua consignaret, quod et fecit, ut patet.* Quae ita concilianda videntur, ut *Rokyczana* argumentis a *Martino* illo *Zatecensi* sibi subpeditatis ad Epistolam informandam usus fuisse dicatur. Ingreditur vero ille ad hunc modum: *Ad scripta tua mihi ultimo missa licet multis et plurimis valde occupatus nihilominus respondere adiuuante deo non negligam &c.* Inculpaverat *Franciscus Rokyczanam*, quod impatienter contra *Job. Capistranum* egerit. Respondet hic: *Virum illum pestiferum capistro diabolice artis animas capientem, non venerandum ymo vere venenandum, venenantem et venenatum* totam *Bohemiam* armis in se ipsam vertere voluisse. Atque hinc liquet, *Epistolam* scriptam post an. 1452. imo 1458. quo *Pius II.* Pontificatum adeptus est, qui *Franciscum* nostrum *Toletanum* in *Bobemiam* ablegavit.

M m

vit.

1751

C O D I C E S

1752

vit. Reliqua ejus Capita in adferenda Communione sub Utraque versantur. Ignorarunt eam, qui Scriptorum *Rokyczanae* syllabos texuere. Sed *Francisci* Scriptum novit *Guil. Eifengreinius* in *Catal. Testium Verit.* fol. 149. p. 2. in eo lapsus, quod illud anno 1387. adfignet; ut enim demus centuriam 3. pro 4. $\sigma\phi\alpha\lambda\mu\alpha$ esse typographi, annus tamen etiam 87. erroneus est, *Francisco* jam a. 1479. ad plures digresso, uti fidem facit Epitaphium ei *Romae* positum, quod refertur in nova Edit. *Biblioth. Hisp. Vet. Nic. Antonii* T. II. p. 309. ubi plura de *Cauriensi* hoc Episcopo.

IV. fol. 65. *Hec sunt fundamenta et scripture quibus Magister Procopius de Plzna probavit communionem parvulorum in Basilea in pleno Concilio nomine regni Bohemie.* Initium: *In primis ergo de prefata communionem parvulorum ponendum est fundamentum &c. ut Cod. XCIII.* Apparatum hunc excipit Adlocutio ad Concilium: *Reuerendissimi in christo patres &c. ex mandatis nostris presentibus claruit et liquet nos, quod loquimur aut facimus coram vestris paternitatibus tam omnes in solidum quam singulatim &c. agi videlicet nomine Regni Bohemiae Marchionatusque Moraviae.* Quando hanc Adlocutionem habuerit *Procopius*, adparet ex mox subjectis: *Audita igitur vna parte hujus operis per Magistrum Johannem (Przibram. Vide Cod. DCLXXXIV.) de licita ac legi-*

tima sacrosancta Communionem sub utraque specie &c. Non contentus hac Adlocutione *Procopius Prefaciunculam*, quam vocat, subnectit capto Themate: *Interroga patrem tuum &c. Deut. 32.* et ita orditur: *Ex quo seculi homines secundum beatum ieronimum lustrasse dicuntur prouincias &c.* Sequitur demum: *Ante replicationem contra responsa domini Auditoris prefacio Magistri Procopii de plzna.* Auditor is est, ut e decursu patet, *Johannes de Polemar* sacri apostolici Palatii auditor, quem in hac quoque de Parvulorum Communionem materia Legatis *Bobemorum* in Concilio respondisse nesciebam. Initium Praefationis hujus: *Reuerendissimi patres &c. Discussa parte prima huius negocij pariter et secunda &c.* Nihil hoc N^o. relatorum, ad *Acta Concilii* complenda seruientium haecenus lucem vidisse puto.

V. fol. 101. Notata de *Chorea*, de Clericis pugnatoribus, tabernariis, concubinariis, de *Simonia*, Introductione mulierum, Communionem parvulorum, Cantu vulgari &c. a *Bohemo*.

VI. fol. 119. *Anglicus rescribit contra scriptum cuiusdam iuramentum tanquam licitum approbantis.* *Anglicum* hunc *Petrum Payne* habeo, qui Refutationem seu crisin suam ita orditur: *In principio tractatus scribitur et pro notabili ponitur. Quod iurare ordinatur in deum sicut in testem &c.* Manu eadem, quae titulum adlatum superscripsit, legitur

1753

P O L E M I C I.

1754

tur fol. ult. vacuo: Anno domini MCCCCLVIII^o feria ante translacionem Sancti Wenceslai I. in XLma ante dominicam Oculi Georgius de Cunstat sublimatus est in Regem Bobemie per Barones nobiles et Ciuitates.

CCCCXLIV.

560 Codex partim membraneus, partim chartaceus, lat. Sec. XV. Folior. 226. 4. currente calamo scriptus, rubricisque distinctus est Pars I. Harmoniae sive Concordiae Evangelicae, cuius Autor, cum frequenter Job. Wicleffum cum proprio, tum Doctoris Evangelici nomine adpellet, ad Bohemiam Partesque Hussiticas pertinet, et fortassis, ut ad Exemplum mutilum Cod. CCCCXLVII. prolatum suspicionem movi, ipse Hussus est. Titulus Operis: Incipit prefacio siue arenga ad accessum in Matheum. Hoc tenore: In dei nomine. Amen. Quia karissimi, ut nostis res magna manibus nostris se offert, que vires nostras nimium excedit &c. Ideo ad fiduciam in Deum conferendam, fundendasque preces hortatur. Posthaec Prolegomenon instar tractantur hae duae Quaestiones: Vtrum scriptura sacra per prophetas et apostolos de Christo deo et homine vero scripta pro omni sua parte quo ad sensum literalem sit vera. Et: Vtrum sicut partium scripture sacre datur convenientia, ita earum poterit dari perfectione superaddita et differentia. Tum exposito Hieronymi in

Matthaeum Prologo Harmonia ipsa sic init: Lex seu doctrina evangelica perfectissima est, per se sufficiens ad regimen ecclesie militantis, cui non licet quicquam addere uel subtrahere &c. quam Thefin peculiari Opusculo a Job. Hussu propugnata habes Cod. nobis DCCCCLXVIII. et in Edit. Opp. ejus 1715. P. I. p. 55. Finitur haec Pars in expositione C. IV. Lucae v. 30. et subscribitur: Finis huius prime partis anno domini M^o. CCCC^o. XXXVII^o. feria II. in die felicitis martiris.

CCCCXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. 561 XV. Folior. 169. 4. scriptus, uti praecedens, est Pars II. Harmoniae sive Concordiae Evangelicae, quae sic incipit: Postquam a principio corporis evangelici actum est de ingressu saluatoris nostri ihesu in hunc mundum per eius conceptionem et natiuitatem, et post hoc de eius progressu per hunc mundum per eius legislationem — iam agitur de eius egressu de hoc mundo per eius passionem. Hic itaque Historia Passionis usque ad Ascensionem Domini enarratur, fusius multo, quam quidem inter Opera Hussi P. II. p. 12. terminaturque pia Lectorum adhortatione, protestatione, lapsuumque deprecatione, cui subscriptum: Explicit Scriptum super Quatuor Evangelia Mathei videlicet Marci Lucae et Iohannis in unum concordata. Quod ad honorem dei et proximorum profectum